
13

EPISTOLA PASTORALIS

AD

CLERVM POPVLVMQVE VNIVERSVM

LVCENSIS DIOECESEOS



ROMAE
PERMISSV PRAESIDVM
1836

FR. JOANNES DOMINICVS STEFANELLI

EX ORDINE PRAEDICATORVM

SACRAE THEOLOGIAE MAGISTER

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPVS LVCENSIS

SS.^{MI} DOMINI NOSTRI GREGORII XVI.

PRAESVL DOMESTICVS ET PONTIFICIO SOLIO ADSTANS

VENERABILIBVS FRATRIBVS, ET DILECTISSIMIS IN CHRISTO FILIIS

ORDINI CANONICORVM, ANIMARVM CVRATORIBVS, VTRIQVE CLERO
AC POPVLO VNIVERSO DIOECESIS SVAE

Pacem et Salutem a Domino sempiternam.

„ Ad Sion montem, civitatem Dei viventis, Jerusalem coe„ lestem, et multorum millium Angelorum frequentiam (1)„ quae est divina Christi Ecclesia; nemo, VENERABILES FRATRES FILIIQUE CHARISSIMI, nemo unquam, qui recte saperet, Imperii illius habenas tractaturus, nisi exterritus, ut Moyses olim, ac tremebundus accessit. Perardua enim, tamque ingens curarum difficilium, ingruentium negotiorum, rerumque expediendarum moles est, perpetuaque sollicitudo, ut vel primores ingenio, sapientia, omnigenaque virtute viros ancipites animo, crebro etiam ingemiscentes ac reluctantes haberet. Quid porro humiles, nec mentis acie, neque doctrinae copia, usuve ac dexteritate agendorum pollentes satis nisi formidolosos, immanique sub pondere veluti fatiscentes exhibeat? horum Ego, ingenuus fateor, alter minimusque eorum, qui sacris Numini

(1) Ad Hebr. 12.

Religionique dant operam, vix meae ad pervetustam, ac nobilissimam istam Lucensem Ecclesiam procurandam, electionis perlato nuncio, haud stupens modo, sed expavescens, animo concidi, viribusque defeci. Quis namque, non voce dicam, sed ejulatu, ac gemitibus exclamabam, quis ego sum Domine, ut suscites de terra inopem, deque pulvere egenum, celsissimo honoris, ac dignitatis fastigio decorandum? vel quidpiam forte, ut moerens olim fatum quaerebatur suum Chrysostomus, quidpiam ne Grex iste apprime fidelis peccavit, ut optimo sane, omniumque virtutum laude cumulatissimo Pastore orbatus, JOSEPHO DE NOBILI, adversa vice, longe alium, meritisque pene omnibus destitutum nancisceretur?

Haec mecum ipse dolenter oppido, nec minus vere recogitans, cum effugiendi declinandique ab oneris magnitudine, via nulla pateret, nisi maximi ac sacratissimi in terris Christi Vicarii prona benignitas atque indulgentia; solium ego illius, quo me confestim vota inhiantia rapiebant, obsequentissimus adii; nec ullis certe cum precibus, tum obtestationibus industriisque peperci, ut mox ab illo, quod flagitabam, assequerer. Sed vana fides: contraque id, quod optaram ac vehementer urgebam, contigit; divino, ut arbitror, Omnipotentis oraculo ex ore illius edito, qui solus in terris, cuncta moderantis Numinis, pandit hominibus voluntatem. Quandoquidem igitur eo auspice atque auctore, praeludente vero celsissimi ac clementissimi Ducis nostri KAROLI LUDOVICI Hispaniarum Infantis rogatu, tantum hoc mihi et amplitudinis et laboris est subeundum; meae nunc tandem infirmitatis oblitus, atque omni penitus depulsa formidine, ecce, ego iterum Prophetae concinens, inquio, ecce ego Domine, mitte me. Qua quidem, Ven. Fratres Filiique dilectissimi, coelesti plane missione jam vester inauguratus Antistes, et sacro hodie Chrismate delibutus, in Domino recreor, qui ponit humiles

in sublime, dum vesanorum superbientium capita deprimit atteritque. Illo etenim abunde ex alto largiente virtutem, qui parvo licet atque immerenti contulit dignitatem; quidni reficiar, mente erigar, perque suavi ac laetissima alacritate perfundar? haec quoque labantis nuper, modo autem erecti confirmatique animi sensa, initio statim patere volo, ut me quantocyus oves meae cognoscant, quas ego impense, imisque ab visceribus aestuanti amore perdiligo. Utinam vero, quod maxime cupio, Pastorumque omnium Principem, cujus sunt omnes divini sanguinis pretio reparatae, instantissime deprecor, omnes ac singulas a malo servem, tum recta semita ad vitae pascua continenter deductas, regni coelestis, immortalisque beatitatis consortes efficiam. Mea profecto, quod et districte et magnopere refert, Optimum hic Maximumque super omnia Deum testor, vestrum deinceps spiritu, voluntate, consilio, procuratione, verbo dicam, pervigili enixaque pastorali sollicitudine, me totum futurum, seu vitia aerumnasque fideli populo nocituras depellere, seu nomine christiano dignas virtutes serere, et bona quaeque optabilia comparare sit opus. Eja propterea, traditae mihi spiritali connubio Sponsae istius lectissimae soboles, mecum agite strenue, operose ac viriliter: Ducem, Praesulem, imo vero Parentem magis audire libeat, qui adhuc licet corpore absens, vos tamen omnes animo spectat, corde jam fovet, omnigenisque dilectionis, benevolentiae ac pietatis officiis creditam sibi Gentem solaturum se spondet, ac vehementer enititur.

Vos eapropter, qui muneris excellentia, dignitatisque amplitudine, Antistitis Cathedrae proximi estis adstatores, consiliarii ac vigiles, vos primum alloquor, non eo quidem sermone, qui conquerentis, sive culpantis quidpiam in coetu vestro deploratio sit; sed vel ingenua recte hactenus praeclareque gestorum laus, vel, ob nequissima, in quae in-

cidimus tempora, malorumque discrimina, praesens opportunaque omnibus commonitio. Novi etenim, cum vestrae fidei nobilem integritatem, flagrantem item avitae Religionis, atque ecclesiasticae disciplinae tuendae zelum, paremque omnino et ad divina tractanda Mysteria, et ad diurnas nocturnasque exsolvendas preces, pietatis ardorem, quo, luminarium instar in Domo Domini excellitis et coruscatis. Vere itaque lux mundi effecti, sal etiam terrae jure optimo auditis; qui vobis primum, ut Paulus praecipit, attendentes, doctrinae quoque ac verbi Dei praedicationi studiose incumbitis, quo vosmetipsos salvos faciatis, et eos qui vos audiunt. Sed his interea tota mente ac virium contentione adlaborantes, id crebro recolite, vestro studio, vestra ope et conatibus nedum structurae coelestis aedificii navandam esse operam; sed et illius, contra irruentes profanorum impetus firmitati, praesidioque insistendum. Macti igitur virtute estote, illorum animum ac fortitudinem aemulati, qui Templum Domini cladibus ruinisque pene disjectum instauraturi, *ense accincti renes aedificabant, et clangebant buccina* (1).

Atque haec quae summo Principis Templi Collegio erant praeprimis commemoranda, aliis item, quotquot extant, dioecesis istius Canonicis commendata, altaque mente reposta esse percupio, jure etiam meritoque confido. Haud quippe modicum et ab istis tum vineae huic nostrae electae bonorum operum fructum, ipsique adeo Pastori suo levamen auxiliumque licet in Domino praestolari.

In id vero praegravis certe ac difficillimi muneris, cum operosior valde vos premat laborum sarcina, Venerabiles animarum Curatores; aveo hinc maxime omnes vos suavissimo, effusamque charitatem spiranti eloquio compellare. Hoc ideo et anxie et assidue memineritis, quod est de vobis in Evan-

(1) Esdrae. II. Cap. 4.

gelio praedicatum - *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis* - Mentem propterea et cogitatus, studia viresque omnes, ut facitis, valentissime intendite, ut Gregi huic diu noctuque advigilantes, procul ab eo luporum insidiae, ferarumque aggressiones teterrimae repellantur. Nec vero terreat, minimumve perturbet, seu obsitum vepribus sentibusque iter, quo ad pascua tenditur, seu concitatum, in vos praesertim, hominum perversorum odium Christo, fidisque ejus asseclis nullo non tempore adversantium. Vel eos nimirum, *si Deus aliquando det illis poenitentiam et resipiscant a diaboli laqueis* (1), cum modestia corripite, in spiritu lenitatis reducite; vel, si in transversum miserrime acti, rebelles aures, ut aspidis surdae obturent, cordeque tenacius obdurescant, hujusmodi vos invicto animo arguite, exagitate, propellite, ne male cautos errorum fraudibus implicent, et scandalorum pernicie in legis illico praevaricationem, aeternumque deinceps rapiant interitum. Haec igitur cogitate, haec tenete, ut quisque vestrum forma Gregis ex animo effectus, illius studeat modis omnibus incolumitati, atque emolumento. Sic enim *cum apparuerit Princeps Pastorum percipietis immarcescibilem gloriae coronam* (2).

Sed haec quidem Christifidelibus summopere expetenda, justisque omnibus in ejus osculo ex hac aerumnarum sede decedentibus, vel a mundi constitutione parata; haec, inquam, illustrior, ac rutilantibus gemmis vos manet splendidior, quicumque estis *ex hominibus assumpti et pro hominibus constituti in his quae sunt ad Deum, ut dona offeratis et sacrificia pro peccatis* (3). *Mediator*, inquit Apostolus, *Dei et hominum, homo Christus Jesus*. Qui ergo hoc ipso praestatis ministerio, ac Sacerdotio in terris fungimini, an non praeclaris

(1) Ad Timoth. 2. (2) 1. Petr. (3) Ad Titum C. 2.

fulgere dotibus, praeire exemplis atque virtutibus coruscare omnes apprime decet? quod igitur Moysi dudum Sinai ab vertice remeanti jussum divinitus: *Inspice, et fac secundum exemplar*, id quoque vobis divina lege, Ecclesiaeque multiplici sanctione praeceptum habetote; illius memores, quod olim Tito gentium Doctor gravissime inculcabat: *In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate. Verbum sanum irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis* (1). Ac certe quidem Ven. Fratres, hoc reor, ipsique admodum probe noscitis, si alia unquam asperrima luctuosaque cum civili, tum christianae Reipublicae tempestate, hac certe, qua vivimus debachantibus impudentissime errorum monstris, flagitiorum longe immanium portentis, atque infensissimis impiorum hominum conatibus; ne omnia simul divina humanaque insanientium horumce delirio, praecipitique furore abripiantur; aggeribus, iisque validissimis opus esse, quos nisi struxerint fortissimi illi, qui mysticum Salomonis lectum custodiunt, quibusque per Jeremiam dictum: *Dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum aereum*; (2) quae ipsi demum civitati securitas, quae fidei, Ecclesiaeque militantibus reliqua certa salus futura?

Audiant, audiant quaeso isthaec arrectis auribus, qui vel in sacro adolescentium clericorum Ephebaeo, vel in majori totque nominibus perillustri Urbis istius Gymnasio, juvenum animis erudiendis excolendisque dant operam. Haud quippe muneri satis, solertiaeque factum iri arbitrentur, ex quo mores fingere pietatemque in Deum, in Patriam, Parentesque fovere satagant, nisi et candori probitatique ingenii politiorum, graviumque praeprimis disciplinarum impiger cultus, cum magi-

(1) Ad Hebr. (2) Jerem. C. 1.

sterio bonae cujusque artis accesserit. Adeo enim ab indole, ab excellentia et majestate divinae, quam profitemur Religionis, abest longissime infanda illa vecordium quorumdam criminatio, expetitae videlicet ab Viris Principibus, et ab Ecclesiae Majoribus in christiano Populo ignorantiae, quod male tuta scientiarum luminibus, humanique ingenii profectibus sint Imperia, ac Sacerdotium; ut contra omnino rem se hujusmodi habere omni aevo fuerit compertissimum, quod et civilis, et christianae Reipublicae fasti, ac monumenta testantur. Sed, age interim, quid magis hodie instat, urgetque homines publicae faustitatis, sanctissimaeque Religionis amatores, quam foedus illud nexu arctiori atque insolubili devincire? stet ea propter defixa haec menti cogitatio, vigeat intendatque se in id maxime cura omnis ingenii, totumque doctrinae robur, ut hisce vos armis strenue communiti bella Domini praeliemini, formidandique humani generis hostis tela ignea retundatis, quae sunt, Zacharia teste, (1) *volumina illa volantia, unde egreditur maledictio super faciem terrae . . . impietas.*

Jam porro et huic penitus explodendae, urbe insuper agroque exterminandae, operae multum atque praesidii a vobis flagitat, nec sibi perperam spondet Christi Ecclesia, spectatissimi quique religiosarum Familiarum Sodales, qui presso vestigio coelestem evangelicae perfectionis Magistrum secuti, ac saeculo hujusmodi nequam forti animo valedicentes, meliora in dies charismata aemulamini. Pergite, oro, felicibus adeo coeptis hilari corde, tum alacri firmitate insistere. Vos quippe in castris militantis Ecclesiae auxiliariae copiae, ordinatissima Regis regum in acie prospere hactenus, ut insigniter, dimicastis; ob idque adstans a dextris Sponsi Ecclesia Regina in vestitu deaurato, pulcherrima undique varietate circumamicta, quam-

(1) C. V. 2. 8.

plurima vestro agmini inimicorum spolia refert accepta, tum nobilissima religionis, doctrinae, omnigenaeque sanctitatis trophaea. Qui vestro e coetu, praeclara scilicet ab GUZMANI DUCIS Palaestra, ad principem hunc episcopalis dignitatis locum assumptus, vos ego maximi facio, et suavissima charitate complector, an non et jure vestram mihi opem, vestramque adjutricem in omnibus sollicitudinem fidenter quoque polliceor?

At cum id doceant prisci foederis oracula, tamdiu Populo Dei contra perfidos hostes pugnanti adrisisse victoriam, quamdiu Josue in arena duce ad arma ciente, montis e regione assurgentis cacumen tenebat Moyses, oculis manibusque ad coelum erectis Dominum deprecaturus; ex eo facile intelligimus fusis potissimum ad Deum votis, quam humanae cujusquam contentione virtutis, maxima quaeque pro Numinis gloria tum auspicanda, tum etiam perficienda. Hoc igitur cum ab omnibus meae fidei, ac vigilantiae commissis ovibus postulo; a vobis maxime deprecor Virgines Deo sacrae, quarum illustribus Gynaeceis veluti tot monilibus ornata refulget, florentissima Lucensis Ecclesia. Vos itaque, ut Patres olim obsequio ac nomine commendabant, illustrior christiani Gregis portio, quae, amoenissima in liliorum convalle coelestem agnum exultans sequitur, hymnis, canticis, precibusque vocem laudis attollite, quae ex areolis aromatum suavi resonans modulamine, dulcis est Regi ac perjucunda. His certe pro vobis, universaque Christi Ecclesia diurnis, nocturnisque precationibus immorantes, quae decus modo Ecclesiae ipsius speciosissimum estis; et Regni pariter coelorum eritis, dum illuc stellarum instar fulgebitis in perpetuas aeternitates.

Tantum hoc vero coelestis gaudii, et numquam interiturae fruitionis, dum omnibus adprecor, saepe etiam Christifidelibus proponendum existimo, iis praesertim, quos Mundi hujus illecebrae ac blandimenta tenacius illigant. *Fascinatio*

quippe nugacitatis obscurat bona, *et inconstantia concupiscentiae transvertit sensum sine malitia* (1). Haec ideo sedula mente, et crebra simul animadversione recolite quotquot estis splendidissimi ordinis Optimates, vosque item seu Magistratuum amplitudine, sive honoris excellentia, copiaque divitiarum illustres, ne hisce aliquando fluxis perituris que abrepti, supremi tandem optimique bonorum omnium Largitoris obliviscamini; nec tam justorum optandam quibusque mercedem properetis, quam delirantium praevaricatorum supplicia, fato heu vobis miserrimo, consciscatis. Viam itaque mandatorum Domini custodientes, in lege ipsius ambulate. Qui Mundi hujus substantiam habetis, si inopem fratrem necessitate laborantem videritis, nusquam ab eo viscera vestra claudatis; nec verbo tantum ac lingua diligatis, sed opere simul et veritate.

Utique, nunc vos universos seu Civitatis, seu Dioeceseos istius nostrae mihi semper charissimos Filios, aetatis, conditionis ac sexus cujusque affari libet; utique, in Dei primum, simulque in mutua inter Christi asseclas dilectione, stat, efflorescit, perficitur Regnum Dei, quod vita est Beatorum sempiterna. Nam qui non diligit manet in morte; et qui diligit, legem omnem implevit. Fructus autem divinae hujus dilectionis uberrimus, multiplex, alma pax est, tum laetitia et gaudium in Spiritu Sancto. Procul hinc ergo a vobis quidquid hoc gaudii, perennisque spiritalis vitae dulcedinis interturbet quoquomodo, aut laedat. Sed contra, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque amabilia; quecumque bonae famae, si quae virtus, si quae laus disciplinae haec cogitate, haec tenete.

Quod denique, dilectissimi, ut bene aspirante, opemque desideratissimam ferente Numine, abunde, ut cupimus, asse-

(1) Sap. 4. 12.

quamur, ad Thronum illico coelestis gratiae accedendum, peroptatae benignitatis atque misericordiae beneficium, opportuno hoc tempore reportaturi. Adstat, adstat illuc potens prae reliquis, juxtaque nobis propitius humani generis Servator, cujus divina e cruce pendentis Imago affabre efficta, longo abhinc aevo, singulari apud vos reverentia colitur, innumeris clara prodigiis. Quodque eamdem, non ita pridem, novo Religionis, gratique animi pignore augendam senatusconsulto decreveritis, postquam lethifera ab hyperboreis plagis ingruente lue, Asiae, Europaeque regiones quamplurimas metu, aerumnis, cladibusque replevit, vestra interim hac Urbe sospite incolumique; quid prodit aliud, nisi fervens oppido vestrae pietatis studium, fideique apprime spectabilis argumentum? laetor hinc sane, vobisque plurimum ex corde gratulor, quorum assiduae inhiantesque apud Deum precationes, secundis adeo auspiciis, et tam fausto exitu innotuere.

Sed crescite porro, crescite adhuc in gratia, et cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi; tum apud ipsum patronam, auxiliatricem, parentem coelorum Reginam vos omnes habere juvet, cunctosque Coelites, in quorum fidem et clientelam Ecclesiae istius sacra, Numinis beneficio, concessere. Vestris ob id precibus, optatisque pronus cumprimis aderit beatus MARTINUS Turonensis Episcopus, in cujus nomine cathedrale Templum dicatum: sancti etiam PAULINUS et FRIGDIANUS vestri olim antistites, nec non REGULUS martyr, ZITAQUE concivis, ac reliqui demum omnes, quorum mortalibus ditati exuviis, coelesti quoque tutela et patrocinio gloriamini.

Hos Ven. Fratres, Filiique charissimi, hos quidem saepe, totoque animi affectu deprecaminor, ut omnium sator et dominator Deus, peraffluenti benedictionis suae abundantia repleat, cumuletque catholicae Ecclesiae Hierarcham summum, at-

que Pontificem vere maximum GREGORIVM XVI, Christifidelibus universis, in tot tamque horribilibus Imperio ac Religioni motis procellis, datum ceu columen, praesidium, perfugiumque.

Sed et pro nostris celsissimis, ac religiosissimis Ducibus KAROLO LUDOVICO, et MARIA THERESIA PIA, eorumque augusta Prole, orate, ut regum Rex benignissimus det unicuique augmenta gratiarum, queis per clementiae, et justitiae semitas jugiter incedentes, amorem sibi, et obsequium deditissimae Gentis in dies magis devinciant, et cum praesenti, futuram maxime comparent fideli Populo faustitatem.

Nec vero sinam, ut vos ad Deum accedentes ullo modo praetereat Princeps Eminentissimus JACOBUS BRIGNOLE, vir sane, ut qui maxime, avorum gloria praestans, parta vero religione atque virtute propria spectabilior, qui vestrum me hodie Praesulem Pastoremque, mystica unctione inauguravit.

De me tandem, omnium infirmissimo, vestrarumque precum auxilio apprime egente, memores dilectissimi estote, ut qui totus posthac animarum vestrarum regimini, aeternaeque saluti procurandae impendar, vice exantlatae sollicitudinis, ac laborum ea potissimum fruar, quam Dei Verbum vocibus jucundissimis Patrem alloquens efferebat (1). *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

In hanc itaque, quotquot estis dilectissimi, spem adductus, quam ut adaugeat roboretque misericordiarum Pater, ac Deus totius consolationis, vehementissime deprecor, amoris testem, ac mei quantocyus adventus praenunciam, hanc dedi epistolam; jamque omnibus atque singulis pastoralem benedictionem peramanter impertio.

Dabam Romae extra Portam Flaminiam, die sacra JACOBO Apostolo octavo Cal. Augusti MDCCCXXXVI. ipsa consecrationis meae.

(1) Joan. 18. 9.